



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Quæstio III. De Simplicitate, Perfectione, & Bonitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

QVÆSTIO III.

De Simplicitate, Perfectione, & Bonitate Dei.

S. Thomas 1. p. q. 3. 4. 5. & 6.

Absoluetur hac quæstio tribus dubijs. I. An Deus omnimodo sit simplex, & incompositus. II. An ex quâ ratione Deus sit Ens unde quaque perfectissimum. III. An ex quâ ratione Deus sit summum Bonum. Quamvis enim simplicitas, perfectio, & bonitas Dei, sint tria distincta attributa; quia tamen prolixam Tractationem non exigunt, commode à nobis vna quæstione comprehenduntur, iuxta methodum initio huius disputationis propositam.

DV BIVM I.

An Deus omni modo sit simplex, & incompositus?

S. Thomas 1. p. q. 3. articulis 8.

Incipit hoc ipso loco S. Thomas explicare in specie perfectiones & attributa, ac veluti passiones, & proprietates Dei; ea methodo, quam quæst. præced. dub. 1. exposuimus. Quod verò ad hoc præfens, ac primum Dei attributum, nimirum simplicitatem attinet, notandum, nomine simplicitatis generatim aliud nihil significari, quam negationem compositionis: quæ quidem in rebus creatis ratione tum extremorum, tum vinculi connectentis extrema, vniuersim duplex est: Substantialis videlicet, & accidentalis. Illa rursus quadruplex; prima ex materia, & forma; secunda ex supposito, & natura; tertia ex natura, siue essentia, & existentia; quarta ex genere & differentia. Accidentaliter tamen quidem diuidi possit in tot genera, quot sunt prædicamenta accidentium; præcipue tamen, & quæ hic seorsim considerari possunt, sunt duæ; nimirum compositio ex subiecto, & quantitate, seu trina dimensione; qualis in substantia corporea cernitur; quo spectat etiam compositio ex partibus integrantibus: Altera ex subiecto, & passione, seu proprietate aliqua in re distincta ab ipso subiecto. De quibus singulis, an Deo conueniant singulis assertionibus agendum; prius tamen de ijs, quæ corporum sunt propriæ; deinde de alijs

Assertio I. Deus est incorporeus, ac proinde minimè compositus ex materia, & forma. Ita S. Thomas hic quæst. 3. art. 1. & 2. cui consentiunt omnes Doctores Catholici. Et est de fide, tum contra Philosophos quosdam antiquos gentilibus, qui dixerunt, Deum esse hunc mundum, qui sensu percipitur: In quibus fuisse Theletem, refert Eusebius lib. 4. de præparat. Evangelica cap. 6. & plures huius generis referunt Aristoteles lib. 4. Phys. tex. 52. & 57. & Cicero lib. 1. de Natura Deorum: tum contra Sadducæos, atque etiam veteres in Ecclesia Anthropomorphitas, Audianos, seu vt Augustinus infra vocat, Vadianos; qui temporibus Arij, authore Audio Monacho, Deum dixerunt esse corporeum, ac membris, & figuratione corporis nostri similem; eò referentes illud Genes. 1. v. 26. *Fa-*

ciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; apud Epiphanium hæresi 70. Theodoretum lib. 4. hæret. fab. cap. 13. & lib. 4. hist. cap. 19. Augustinum lib. de hæresi cap. 50. & Damascenum lib. de hæresibus. In eodem errore versatos fuisse multos simplices Catholicos, atque etiam Monachos, referunt S. Augustinus lib. 1. de moribus Eccles. cap. 10. & Cassianus collat. 10. cap. 23. & 5. Nec multum ab hoc errore abijt Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem cap. 16. Tribuitur etiam Melitoni Sardeni; sed quem meritò ab hoc errore, vindicant Sixtus Senensis lib. 5. biblioth. annot. 18. & Gabriel Vasquez hic disp. 21. cap. 1.

Probatur assertio primo ex innumeris scripturæ locis, in quibus Deus vocatur, & dicitur esse spiritus, præcipue Ioan. 4. v. 24. *Spiritus est Deus, Actor.* 15. v. 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* 2. Corinth. 3. v. 17. *Dominus autem spiritus est. Spiritus autem carnem, & ossa non habet.* Luca 24. versu 39. Huc etiam spectant illa Elai 40. v. 18. *Cui similem fecisti Deum; aut quam imaginem ponetis ei?* Et Actorum 12. v. 29. *Non debemus existimare sculpturæ artis, & cogitationis hominis, diuinum esse simile.* Et Romanorum primo, versu 22. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis:* quod directè contra Anthropomorphitas pugnat.

Secundo probatur assertio ex SS. Patribus, locis cit. qui illum Anthropomorphitarum errorem tanquam Scripturæ aduersarium damnant; licet Damascenus loc. cit. dicat. *Audianorum schisma, & dissensio est, non hæresis;* forte quia existimabat, errorem ab illis simplicitate potius & ruditate, quam pertinacia fuisse defensum; alias hæreticum esse, dubitari non debet, vt rectè Gregorius de Valentia hic q. 3. p. 6. & Vasquez disp. 21. num. 2.

Tertio probatur ratio, quam triplicem assertio S. Thomas cit. quæst. 3. art. 2. Prima. Actus purus non potest esse compositus ex materia, & forma; de essentia enim materiæ est, esse in potentia: Deus secundum suam naturam est actus purus; omnis potentialitatis, vt & imperfectionis expertus: Ergo, &c. Secunda. Omne compositum ex materia & forma est bonum per participationem, nimirum per suam formam à materiâ participatam: Deus cum sit primū bonū, non est bonū per participationem, sed per essentiam: Ergo, &c. Tertia. Quanto agens quodq; perfectius est, tantò magis ad formæ actualitatem accedit, & à potentialitate recedit; cum omne agens

agat per suam formam, & in quantum est actu: quod igitur primum est, & per se agens, necesse est ut sit primum, & per se forma. Deus est primum agens, ex dictis quæst. præced. dub. 4. Ergo, &c. Hæ rationes bene concludunt; neque opus est in tertia defendenda, si ad modum dictum proponatur, laborare, ut faciunt Caietanus hic q. 3. a. 2. & Gregorius de Valentia q. 3. p. 2. & 6.

4 Ad præcedentibus istam, ex conceptu essentiali ipsius Dei petitam. Nullum ens ex se potest esse substantiale corpus, seu compositum ex materia, & forma: Deus est Ens ex se, ut patet ex conceptu essentiali ipsius Dei, quæst. 1. dub. 1. & 5. Ergo, &c. Maior probatur. Quia si compositum tale, esset Ens ex se, id esset ratione formæ; quæ nimirum & ipsa ex se esset, & ex vi, cuius etiam esset materia: cum materia alioqui secundum se, essentialiter Ens in potentia, non possit esse ens ex se: at verò id est impossibile: si enim talis forma esset ex se, & ex vi eius materia, iam hoc ipso, ipsa per se forma esset Ens primum, ac independens ab omni materia; nulloque modo Ens imperfectum, & ad materiam informandam idoneum. Ergo fieri non potest, ut compositum ex materia, & forma sit Ens ex se.

Affertio II. Deus, suâ naturâ, etiam non est Ens compositum ex subiecto, & quantitate, siue trina dimensione; ac proinde nec ex partibus integrantibus quantitativis. Ita speciatim S. Thomas hic q. 3. a. 1. ubi seorsim quærit, utrum Deus sit corpus; cum art. 2. inquirat, an sit compositus ex materia, & forma; vel quia aliqui putarunt, dari corpus substantiale, nimirum cælum, sine compositione ex materia & forma, ut notavit Vasquez eod. art. 1. vel quia per corpus generatim intellexit corpus quantitate affectum. Consentiant verò etiam in hac assertione omnes Catholici Doctores; & est itidem de fide certa, ex citatis scripturæ locis, ac Patrum testimonijs; contra infideles, & hæreticos in præced. assertione recensitos; quibus meritò annumerari potest quidam huius temporis stolidus Nouator, qui docuit, Deum esse diuisibilem, & quantitate præditum; cuius tamen nomen ob imperitiam, & impietatem doctrinæ, cæteris etiam Nouatoribus exosam, non existimavi huic libro inferendum. Ratio sumitur ex præcedenti assertione. Quia ex vera Philosophia, quam hoc loco suppono, nulla substantia spiritualis, siue quæ ex materia & forma non est composita, est quanta; cum quantitas sit connaturalis proprietatis materiæ: Deus est substantia spiritualis, & expers compositionis ex materia, & forma, &c. Accedit quod Deus nec finitam potest habere quantitatem, cum sit infinitus; nec infinitam, quia hæc & informis est, & impossibilis, ut dicitur. quæst. 4. dub. 2. Multò verò etiam euidentiùs est, Deum non esse corpus de prædicamento quantitatis, seu corpus Mathematicum, separatum à materia, & forma, quia tale corpus est accidens: Deus autem cum sit Ens ex se, & quidem perfectissimum, impossibile est, ut sit accidens, &c. Ergo.

5 Ex quibus etiam sequitur, Deum non esse compositum ex partibus integrantibus. Quia partes propriè integrantes sunt partes quantitativæ, seu quantæ alicuius totius quanti.

Quæ autem ex scriptura obijci possunt, in qua subinde Deo attribuantur membra corporea; item actiones quædam, siue attributa corporum, ut videre, audire, sedere, stare, item magnitudo, & quantitas; item anima, ac passiones animæ sensitivæ, ut ira, &c. facilem habent solutionem apud S. Thomam hic cit. q. 3. a. 1. & Gregorium de Valentia q. 3. pun. 6. summa est: hæc omnia Deo tribui per quædam metaphoram, & analogiam; adeoq; improprie, ob quædam similitudinem, siue proportionem rerum eiusmodi corporearum, quam habent ad vim actiuam, certaque perfectiones, & operationes Dei, ut in specie elegantè declarat S. Thomas hic q. 3. a. 1. & 2. v. g. Job. 11. v. 8. in persona Sophar tribuitur Deo trina dimensio metaphorice; ita ut profunditas vim eius cognoscendi occulta; altitudo excellentiam virtutis eius super omnia, siue potentiam Dei omnia gubernantè, & conferuantè; longitudo durationem; latitudo affectû dilectionis ad omnia denotet; vel ut profunditate incomprehensibilitas Dei, longitudine processus virtutis eius ad omnia penetrantis, latitudine protectio ei⁹ omnia continentis significetur; ut notat S. Thomas ad 1. ex S. Dionysio c. 9. de diuin. nom. Eodem modo oculis Dei, eius scientia, & providentia; brachio, & manibus eius potètia operatiua ad extra; pedibus amor, & affectus, vel etiã operatio transiens designentur, &c. Eodem modo dicitur Deus sedens, propter suam immobilitatem, & auctoritatem; stans propter suam fortitudinem, ad debellandum omne, quod ipsi aduersatur. Nec aliter ad Deum acceditur, vel ab eo receditur, quam affectibus mentis, iuxta S. Thomam ibidem ad 3.

4 5. Atq; hæc ipsa etiam vocatur à S. Dionysio Theologia mystica, siue symbolica de qua propriû librum scripsit, & rectè S. Damascenus lib. 1. fid. ortho. cap. 14. de hac re agens: *At verò, inquit, quia plurima de Deo corporaliter in sacra scriptura symbolice, mysticeq; & significatiue dicta comperimus, scire nos decet, cum nos ipsi sumus crasso carnis indumento circumdati, nos minime posse diuinas, & subtiles & immateriales Dei operationes intelligere, aut eloqui, nisi imaginibus, & formis, & significatiuis nostro more utamur signis, &c.* Quod ibidem in specie fufius persequitur.

6 Neq; imago, & similitudo hominis, ad Deum corpus concernit; uti Antropomorphite existimabant, sed animam, siue rationem, ut rectè etiam S. Thomas hic a. 1. ad 2. post S. Augustinû lib. 1. de doct. Christ. & in Psal. 48. ubi ait: *Imago Dei non est in corpore, non est in auribus istis, quas videtis, & oculis, & naribus, & palato, & manibus, & pedibus; sed est facta, ubi est intellectus, ubi est mens, ubi ratio inuestiganda veritatis, ubi est fides, ubi est spes vestra, ubi charitas vestra: ibi habet Deus imaginem suam.* Atque hæc de compositione propria corporum, nunc de ijs, quæ etiam spiritibus possunt esse communes.

7 Assertio III. Deus non est compositus ex natura, & supposito. Ita S. Thomas hic q. 3. art. 3. & communis omnium Doctorum, ac de fide certa, contra Gilbertum Porretanum, qui cum assereret, non eandem rem in Deo significari nominibus concretis, & abstractis, suppositum à natura, & attributis in Deo, à parte rei, si non planè strictè realiter distinxit; cuius error damnatus fuit in Concilio quodâ Rhenensi

sub Eugenio III. ut testatur S. Bernardus serm. 80. in Cant. Eadem sententiæ affinis est illa Scoti in 1. d. 8. q. 3. qui ea saltem ex natura rei formaliter esse distincta docuit, ut dictum q. 2. dub. 2.

Probatur assertio primo ex scriptura, quæ sæpè Deum nominibus abstractis, ipsam essentiam, siue attributum aliquod absolutum significantibus appellat, ipsa que perfectiones diuinas in abstracto affirmat de Deo; ut Proverb. 8. v. 12. *Ego sapientia (in-creata, seu filius Dei) habito in consilio.* Et rursum de increata sapientia dicitur, Sap. 7. v. 25. & 26. *Vapor est enim virtus Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æterna, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius: quod ad incretam sapientiam refertur Heb. 1. v. 3. Item Ioan. 14. v. 6. Ego sum via, veritas, & vita. 1. Cor. 1. v. 24. Prædicamus Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Hæc autem ita absolute de se prædicari non possent, si natura, & suppositum à parte rei essent distincta.

Secundò probatur assertio ex SS. Patribus. Iustinus quæst. 144. *Neg enim, ait, more naturæ creata est Deus; ut esse in ipso, & habere, in concretionem, siue concreta intelligantur: sed ut natura exstans, sic & esse ipsum, & habere, omnem superant concretionem.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Theauri, cap. 8. *Non est aliud natura Dei, aliud etiam ipse Deus. Simplex enim atq; incompositus est.* Similia habent S. Augustinus lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 10. & lib. 12. cap. 2. Anselmus in Monologio cap. 55. & alij passim; præterquam quod S. Bernardus cit. serm. 80. in Cant. & lib. 5. de consid. ad Eugenium, ex instituto refutaui Gilbertum, quem etiam retractasse errorem scribit.

Ratio particularis est. Quia si à parte rei subsistentia in Deo differt à natura, & essentia, tum natura diuina secundum se, & à parte rei, etiam in genere substantiæ, esset adhuc incompleta, & ens perfectibile, ac in potentia; consequens est impossibile: Ergo, &c. omitto rationem S. Thomæ, quæ supponit, substantias materiales indiuiduari per materiam, de quo in Metaphysica agitur. An vero in Deo, præter tres substantias relatiuas, detur aliqua substantia absoluta, dicitur suo loco de Trin. Hic satis est scire, verum dicitur, veram esse assertionem.

Assertio I V. Deus non est compositus ex natura, siue essentia, & existentia. Ita S. Thomas hic q. 3. art. 4. omnibus Doctoribus consentientibus; & est itidem de fide certa, ut rectè notauit Gregorius de Valentia hic q. 3. p. 4. Probatur. Quia si existentia in Deo reipsa differret ab eius essentia, tunc esset aliquid causatum; quicquid enim in aliquo est reipsa distinctum ab eius essentia, est causatum in illo: Sed hoc est impossibile. Aut enim existentia diuina esset causata ab ipsa essentia diuina, vel ab aliquo principio exteriori. Non primum; quia nulla res sibi ipsi potest esse causa existendi. Nec secundum; quia sic Deus non esset prima causa efficiens, contra ipsam notionem nominis Dei, declaratam q. 1. dub. 1. & 5. Atque hæc ipsa est prima ratio S. Thomæ loc. cit. qui præterea duas alias addit; ut quod alias natura diuina esset ens potentiale, atque ens siue existens per participationem; quæ ex dictis colligi possunt.

Accedit, quod ex probabilibus philosophia, etiam in

rebus creatis, essentia, & existentia reipsa non differunt; ut cum Henrico Gandauensi quodlib. 1. q. 9. & Heruæo quodlib. 7. q. 9. Durando in 1. d. 8. q. 2. & Gabriele in 3. d. 6. q. 2. docet Gregorius de Valentia cit. q. 3. p. 4. Et si contrarium supponant & doceant S. Thomas hic q. 3. art. 4. & lib. 2. contra gent. cap. 52. & in opusc. de ente, & essent. cap. 5. Capreolus in 1. d. 8. q. 1. Caietanus, & Bannes hic, uti & Scotus in 3. d. 6. q. 1. de qua re alibi. Quomodo autem nihilominus Dei solius proprium sit, quod existentia non tantum sit identicè idem cum essentia, sed etiam sit de ratione intrinseca ipsius essentia, dictum supra q. 1. dub. 5.

Assertio V. Deus non est compositus ex genere, & differentia. Ita S. Thomas hic q. 3. art. 5. & communis Theologorum, cum Magistro in 1. d. 8. nominatim Alberti ibidem art. 32. Bonauenturæ art. 1. q. 4. Richardi art. 4. q. 2. Scoti q. 3. Argentinæ q. 1. art. 1. Egidij art. 1. q. 3. Durandus 2. d. 3. q. 1. num. 12. Ockam in 1. d. 8. q. 1. & consentiunt omnes interpretes S. Thomæ veteres, & recentiores, Capreolus in 1. d. 3. q. 2. art. 1. Ferrariensis 1. cont. gent. cap. 27. Gregorius de Valentia hic q. 3. p. 5. Suarez lib. 1. de Deo, cap. 4. Gabriel Valquez hic disp. 2. cap. 3. et si non defuerunt, qui Deum sub aliquo genere collocantes, reipsa talem compositionem Deo tribuerunt, in quibus Holcoth in 1. q. 6. Ariminenfis in 1. d. 8. q. 3. art. 2. Marfilus in 1. q. 12. art. 2. & ferè Gabriel in 1. dist. 8. q. 1. qui simul etiam docent, nomina aliqua de Deo, & creaturis vniuoçè prædicari. Ratio verò huius assertionis est; non quod vniuersim Deo repugnet compositio secundum nostram rationem, ut rectè contra Aureolum in 1. d. 1. q. 1. a. 2. & d. 8. q. 4. art. 1. Mayronem q. 7. a. 1. Soncinnatem lib. 12. metaph. q. 29. & ferè Capreolum in 1. d. 2. q. 3. in solutionibus argum. Aureoli ad 4. docent Suarez lib. 1. de Deo, cap. 4. num. 8. Valquez 1. p. disp. 2. cap. 2. & disput. 12. 1. cap. 3. & alij communiter, iuxta S. Thomam 1. p. q. 13. art. 4. ad 3. vbi ait: *Deus est vnus re, & plures secundum rationem: nec quia, compositio ex genere, & differentia sit compositio quædam realis, seu ex pluribus à parte rei distinctis; hoc enim aut falsum, aut incertum est; licet id supponere videatur S. Thomas hic cit. q. 3. art. 5. sed quia Deo non conuenit ratio speciei, quæ ex genere & differentia constituitur; tum quia implicat, esse plures specie, aut numero Deos, de quibus ratio nominis vniuoçè prædicetur; tum quia alias Deus sola specie differret à substantijs creatis; cum tamen ab his vtrique plus differat, quam quælibet res creatæ inter se; tum quia nihil potest vniuoçè de Deo, & creaturis prædicari, ut dicitur q. 7.*

Nec verò Deus est in vilo prædicamento iuxta S. Thomam cit. q. 3. art. 5. ad 1. & communem Doctorum, ob eandem causam quicquid & Nominales in contrarium dixerint; & nonnulli recentiores apud Valquez cit. disp. 2. num. 12. tam Deum, quam res omnes, ad vnum genus, & prædicamentum entis reuocare conati sunt: cum tamen ens, quia non est ita abstractum à suis inferioribus, quin in singulis eorum differentijs ratio entis intrinsecè includatur, non possit esse genus, ut rectè S. Thomas hic cit. art. 5. & pluribus suo loco docetur.

Et quamuis Gregorius de Valentia cit. q. 3. p. 5.

dicat, hanc controuersiam non tam esse de re, quam de nomine; non est tamen à communi modo loquendi recedendum, sicut nec recedi etiam vilo modo potest, sine manifesto abusu nominum.

Dices. Deus prædicatur essentialiter, & in quid de pluribus personis diuinis solo numero differentibus; Ergo est species. Respondetur negando consequentiam; quia deberet prædicari de pluribus secundum idem Dei nomen; hoc est, de pluribus Dijs; quod est impossibile: quia natura diuina in personis diuinis non multiplicatur, vt suo loco dicetur.

Assertio VI. Deus item non est compositus à parte rei ex subiecto, & passione, siue accidente. Ita S. Thomas quæst. 3. art. 6. & est de fide, si de accidentibus prædicamentalibus Deo verè inhærentibus, sermo sit; definita à Leone I. epist. 91. vel 93. ad Turibium cap. 5. Si autem loquamur de accidente solum prædicabili, in Deo existente, adhuc est res certissima. & communis omnium prope Doctorum; contra Scotum, eiusque assecclas quosdam, quorum sententiam retulimus, & refutauimus supra q. 2. dub. 2. ex Concilio Rhemensi can. 1. & alijs rationibus; quibus consentiunt istæ, quas S. Thomas hic citat. 6. pro eadè assertionem assertit, & rectè expendit. Prima est; Quia Deus non est Ens in potentia; sed purus actus ex dictis supra q. 1. dub. 5. Secunda. Deus est ens per essentiam, non per participationem alicuius esse extrinseci, vt dictum ibidem. Tertia. Deus est primum ens; & prima causa, in quo proinde nihil potest esse causatum; omne autem accidens in subiecto ab aliquo causatum est: sicut & id, quod est per se, prius est eo, quod est per accidens.

11 Obseruandum tamen, tamen si in Deo nulla sit à parte rei compositio ex subiecto, & accidente, seu prædicamentali, seu etiam prædicabili; hoc tamen esse discrimen inter accidens prædicamentale, & prædicabile: quod illud in Deo locum nullo modo habere potest; cum tamen non repugnet Deo aliqua accidentia, vt vocant prædicabilia; hoc est, quæ de Deo secundum nostrum concipiendi modum accidentaliter prædicentur, tum extrinseca, tum etiam intrinseca denominatione: quamuis secundum esse, quod in Deo habent, ac significant, sint aliquid substantiale, imo intrinsecum Deo. Talia sunt, cum Deus dicitur Creator, Redemptor, Dominus, &c. item cum dicitur velle, & cognoscere creaturas existentes; ijs prouidere, ac easdem prædestinare; Quare si est aliquid prædicamentum accidentis, quod per extrinsecum solum respectum de substantia dicitur, tum id etiam de Deo enuntiant, ratione quidem solius simplicitatis, non repugnabit, vt rectè notauit etiam Vasquez hic q. 3. art. 6. Plura infra q. 7. 8. & 9.

12 Assertio VII. Deus nullo modo est compositus à parte rei; sed omnino, & vndiquaque simplex Ita S. Thomas hic q. 3. art. 7. & communis Doctorum, contra varios errores antea relatos, vt & contra Gilbertum, Scotum, & eius assecclas; idque veluti de fide certum colligitur ex definitione Leonis I. epist. 91. vel 93. ad Turibium cap. 5. vbi dicitur: *Solus Deus nullum participationis est indigenus: de quo quicquid digne utitur, sentitur, non qualitas est, sed essentia.* Item ex definitione Eugenij in Concilio Rhemensi vt dictum supra q. 2. dub. 2. Denique ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & fid.

Cathol. vbi expressè his ipsis verbis definitur. *Tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino.*

Ide n euidenter demonstratur à S. Thoma hic cit. q. 3. art. 7. Primo inductione; quia nullus compositionis modus in Deo locum habet, ex dictis. II. Quia omne compositum est posterius suis componentibus, & dependens ex eis: Deus autem est primum ens independens. III. Omne compositum causam habet, quæ coniungat extrema: Deus autem causam non habet, sed est prima causa. IV. In omni composito necessarium est potentia, & actus, in Deo nulla est potentia, cum sit actus purus. VI. In omni composito est aliquid, quod non est ipsum: Deus autem cum sit actus purus, & ens per essentiam, est totum id, quod est; nec in eo est quicquam, quod ipse non est.

Idem confirmatur etiam hoc discursu. Quia si in Deo esset vlla vera compositio, tum à parte rei esset aliquid in Deo, quod non esset Deus, sed imperfectius Deo, adeoque creatura; quia inter Deum, & creaturam à parte rei nihil datur medium; & quicquid re ipsa Deus non est, creatura est: consequens verò est absurdum. Tum quia sic Deus non esset ens per se, nec actus purus, nec ens infinitum; sed ens per accidens, potèntiale, limitatum, ac per participationem. Quod si dicatur, ipsa hæc creatura spectare ad essentiam Dei, necesse est, factam esse ab alio; quia nihil se ipsum secundum essentiam potest producere; ac proinde Deus non erit ens primum, & independens: quæ omnia manifestè repugnant rationi Deitatis, vt dictum q. 1. dub. 5.

13 Obijcies. Deus est vnus in tribus personis: Ergo Deus est ens compositum ex multis. Respondetur negando consequentiam: Quia tres personæ in Deo, seu in essentia diuina, non sunt vt vnitæ; sed vnum quiddam, sine omni distinctione reali earum ab essentia: ac proinde Deus, & essentia diuina non constituentur ex tribus personis, tanquam partibus aut extremis componentibus, sed est vna simplicissima entitas, quæ identificatur cum tribus personis. Quod rectè etiam docuit S. Damascenus lib. 1. fid. orth. cap. 15. vbi ait: *Non enim composita res est Deitas, sed in tribus perfectis vnum perfectum, & indiuisibile & incompositum.* Idem ex instituto discit Gregorius Nazianzenus in scripto ad Euagrium monachum, de Diuinitate.

8 Obijcies secundo. Christus est compositus ex duabus naturis, vt suo loco docetur: Christus est Deus: Ergo Deus est compositus. Respondetur distinguendo maiorem, & conclusionem. Christus enim, adeoque Deus, est compositus non secundum naturam præcisè diuinam, vt est Deus, sed vt est subsistens in duabus naturis. Nos autem hic loquimur de Deo secundum se, & vt secundum suam præcisè naturam consideratur.

14 Assertio VIII. Impossibile est, vt Deus vna cum re alia veniat in compositionem alicuius, velut pars naturaliter componens, seu per modum forme, seu per modum materie, aut alio quouis modo. Ita S. Thomas hic q. 3. art. 8. & communis ac certa omnium Doctorum; & est de fide, contra varios errores, tum veterum quorundam philosophorū; tum hereticorū: ex illis n. Democritus apud Eusebiū lib. 4. de præpar. Euang. c. 6. Itè Stoici quidam apud Epiphaniū

lib. 1. hæresi 5. & Damascenum lib. de hæresibus. Denique Pythagoras apud Ludouicum Viuem in cap. 12. lib. 4. de Ciuit. Dei, docuerunt, Deum esse animam mundi; quod etiam de Spiritu S. tradidisse Abailardum, refert S. Bernardus epist. 190. sed & Priscillianista hæretici olim docuerunt, animam hominis diuinam esse substantiam, vel partem illius; vt constat ex Concilio Toletano I. & Leone I. cit. epist. 91. vel 93. ad Turibium cap. 5. Simili insania postea Almaricus apud Turrecrematam lib. 4. sum. cap. 35. asseruit, omnia esse Deum; huncque adeo esse rerum omnium essentiam: quoniam errorem damnauit, ac simul etiam assertionem hanc ex parte definiuit Innocentius III. cap. *Damnatus*, de sum. Trinit. & fid. Cathol. vbi dicitur: *Reprobamus etiam, & condemnamus peruersissimum dogma impij Almarici, cuius mentem sic pater mendacj excacauit, vt eius doctrina, non tam hæretica, quam insana sit censenda.* His adiungit S. Thomas hic cit. art. 8. Dauidem quandam de Dinando: *Qui, inquit, stultissime posuit, Deum esse materiam primam.*

15 Eandem assertionem rectè reprobatur S. Thomas ibidem tribus rationibus. I. Quia Deus est prima causa efficiens rerum omnium; cuius non est intrinsecè componere, sed extrinsecè efficere composita. II. Deus est primò, & per se agens: quod autem venit in compositionem, non est primò, & per se agens; sed potius compositum. III. Deus est ens primum: nulla autem pars potest esse ens primum: non materia; aut quæ se habet per modum materiæ; quia hæc est ens in potentia, quod necessàrio, & simpliciter posterius est ente in actu. Neque forma; quia forma, quæ pars est compositi, non potest non esse forma participata, adeoque ab Ente alio per essentiam. His accedit, quod Deus est ens vndiquaque completum, & perfectum, adeoque etiam purus actus per se subsistens: quale ens neque sua natura sibi vendicat compositionem, seu vnionem formalem cum alio: neque etiam naturam. liter, hoc est, iuxta naturas rerum creaturarum, admittit vllam eiusmodi rei creatæ vnionem.

An verò Deus, seu persona diuina supernaturaliter possit venire in compositionem, pertinet ad materiam de Incarnat. 3. p. q. 2. a. 4. vbi communiter cum S. Thomâ ibidem ex pluribus concilijs docetur, personam Christi verè ac propriè esse compositam ex duabus naturis, diuina, & humana, seu ex Verbo, & natura humana; non ita quidem, vt hæc propriè sit compositio totius ex partibus, sed vnus perfecti ex pluribus; vt rectè etiam Gregorius de Valentia hic q. 3. p. 8. & Molina art. 7. disput. 1. & fusius docemus tomo 4. disp. 1. q. 3. dub. 3.

16 Assertio IX. Simplicitas hætenus explicata Dei solius adeo propria est, vt non possit vlli rei creatæ communicari. Ita S. Thomas hic q. 3. a. 7. ad 1. Gregorius de Valentia q. 3. p. 7. Molina q. 3. a. 7. & communis. Eadem est doctrina Aristotelis lib. 12. metaph. cap. 7. Probatur. Quia nullum ens creatum est, quod non habeat saltem sua accidentia, seu modos quasi accidentales existentie, extensionis, intensiõnis, vbi, hæccitatis, durationis, &c. variabiles, & separabiles ab essentia rei.

Obijcies, tandem deueniendum ad vltimum modum, qui non modificetur amplius; ne detur pro-

gressus in infinitum. Responderi potest primum, hic propriè de rebus veris, non de modis rerum esse sermonem, sicut etiam S. Thomas de rebus existentibus, non de existentia loquitur. Respondeo secundo, ipsos modos rerum à se mutuo modificari; v. g. quantitatem à qualitate; & hanc vicissim ab illa: item hæccitate naturæ ab existentia; & existentiam ab hæccitate; & vtramque à duratione; ac proinde nullum esse modum non modificatum aliquo modo. Nec tamen ideo procedendum est in infinitum; cum sit reciprocatio inter ipsos modos existentes, qui numero finiti sunt.

Assertio X. Attributum simplicitatis formaliter non est perfectio positiua, nec adeo propriè perfectio simpliciter simplex; nisi ratione fundamenti, sed solum negatio. Ita Bassolis in 1. d. 8. q. 2. a. 3. Caietanus opusc. de ente, & essent. cap. 2. comment. 2. Molina 1. p. q. 3. art. 7. d. 2. Gregorius de Valentia q. 3. p. 3. Suarez lib. 1. de Deo, cap. 4. num. 1. & cap. 9. num. 4. & est expressa doctrina S. Thomæ in 4. d. 1. q. 1. a. 1. quæstiunc. 1. & hic initio quæst. 3. vbi ait: *per simplicitatem non indicari quomodo Deus sit, sed quomodo non sit.* Et si contrarium dixerit Scotus in 1. d. 8. q. 1. ad 1. & apertè Lichetus, & Bargius ibidem q. 1.

Ratio est. Quia simplicitas, prout tam ab essentia diuina, in quantum est actus purus, quam ab alijs attributis secundum rationem nostram differt, nullum in generat conceptum affirmatiuum, sed solum negationem compositionis: licet vtique connotet aliquid positiuum, nimirum in præsentia ipsam essentiam diuinam, sub ratione actus puri, veluti quoddam quasi subiectum, seu subiecti rationem: alioquin enim etiam de non entibus dici posset. Quomodo intelligendus videtur Caietanus hic q. 1. a. 1. dum docet, simplicitatem esse modum essentialem, & non attributum.

DVBIVM II.

An, & qua ratione Deus sit ens vndiquaque perfectissimum.

S. Thom. 1. p. q. 4. a. 3.

1 Non accipitur hic perfectio latè, ac generatim, pro omni eo, quo Deus iuxta nostrum concipiendi modum perficitur, sic enim quodlibet prædicatum, atque attributum diuinum, saltem positiuum, est quædam perfectio Dei: sed accipitur strictè, pro peculiari quodam attributo, eanotione, qua Aristoteles lib. 5. metaph. cap. 6. dixit, perfectum esse quodlibet in suo genere, *quod in nullo deficit.* Et Gregorius Nyssenus lib. de vita Moysi: *Perfectum dicitur quod suum suum, atq. terminum ita consecutum est, vt nihil sibi desit, nihil desiciat.* Et denique S. Thomas hic q. 4. a. 1. *Perfectum, inquit, dicitur, cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis, &c.* perfectissimum autem in suo genere est, quod habet omnem perfectionem possibilem, quam res in eo genere habere potest, seu quod attingit vltimum perfectionis in eodem genere, vt colligitur ex Aristotele loco cit. Vnde licet secundum Erymologiam nominis, perfectum dicatur, quasi totaliter factum; tamen secundum verum,

& for-

& formale significatum, etiam de rebus non factis, verè dicitur, vt rectè S. Thomas q. 4. art. 1. ad 1.

Assertio I. Deus est ens, siue substantia simpliciter perfecta. Ita S. Thomas hic quæst. 4. art. 1. est de fide, & extra controuersiam, vt magis patebit ex sequentibus. Probatur, tum ex Scriptura Matth. 5. v. 48. *Estote perfecti, sicut & pater vester celestis perfectus est*; tum ratione; quia cum Deus sit prima causa efficiens, est ens maximè in actu: nec verò ei quicquam deest, secundum modum suæ perfectionis; & quamuis potuisset quidem Deus plura operari ad extra, quam fecit: ea tamen operatio transiens non est perfectio Dei; sed rei creatæ, in qua est, cui Deus operando suam perfectionem aliquo modo communicat.

2 Assertio II. Deus habet omnes omnium rerum perfectiones modo optimo, & excellentissimo; ac proinde est ens perfectissimum, non tantum in certo genere; sed etiam secundum ipsam communissimam rationem entis. Ita S. Thomas art. 2. & est extra controuersiam. Probatur primo ex Scriptura Ioan. 1. v. 3. *Quod factum est, in ipso vita erat, iuxta lectionem, & interpunctionem S. Augustini ibidem; eisi res non sit certa, & Rom. 11. v. 36. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et Psal. 49. v. 11. *Pulchritudo agri mecum est.* Et Psal. 93. *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat?* Denique Exodi 33. v. 19. Deus appellat seipsum omne bonum: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Idem docent passim SS. Patres, optimè S. Dionysius cap. 5. de diuinis nominibus notat, Deum in sua existentia præhabere omnia.

Secundo idem rectè probatur à S. Thoma cit. art. 2. duabus rationibus, ex ipsa notionem, seu conceptu essentiali ipsius Dei: si quidem omnis causa principalis efficiens debet aut formaliter, aut eminenter continere perfectionem sui effectus: Deus autem est principalis causa efficiens omnium rerum: Ergo aut formaliter, aut eminenter debet continere omnium rerum perfectiones. Quam rationem etiam rattigit S. Dionysius cit. cap. 5. de diuinis nomin. cum de Deo ait: *Non quidem hoc est, hoc autem non est, sed omnia est, vt omnium causa.*

Deinde Deus est ens per essentiam, & non per participationem: (S. Thomas ait: *Est ipsum esse per se subsistens*) Ergo illimitatè habet omnem perfectionem esse ad. Quod etiam significat S. Dionysius ibidem, cum ita de Deo loquitur: *Non quodam modo est existens, sed simpliciter, & incircumscripè totum in seipso formaliter esse præcipit.* His accedit, quod Deus est summum, & infinitum bonum; de cuius ratione est, omnes omnium rerum perfectiones optimo, & excellentissimo modo in se continere, vt inferius dicitur.

3 Assertio III. Deus non habet in se eodem modo omnes rerum perfectiones; sed illas quidem omnes, quæ sunt perfectiones simpliciter, habet in se formaliter; alias verò quæ sunt perfectiones solum in certo genere, siue secundum quid, solum continet eminenter. Ita communis Doctorum ex S. Anselmo in Monolog. c. 14. speciatim Scotus in 1. d. 8. q. 1. ad 1. Caietanus de ente & essentia c. 2. comment. 7. & recentiores omnes, à quib. perfectio simpliciter, (quam nonnulli recentiores vocant simpliciter simplicem) eū eodem Anselmo ita describitur: *Est perfectio, quæ in*

unoquoque melior est ipsa, quam non ipsa. E contrario verò perfectio secundum quid, seu in certo genere, dicitur, quæ non est in unoquoque melior ipsa, quam non ipsa. S. Anselmi loc. cit. verba sunt: *Equidem, inquit, si quis singula diligenter intueatur, quicquid est, præter relictum, aut tale est, vt ipsum omnino melius sit, quam non ipsum; aut tale est, vt non ipsum in aliquo melius sit, quam ipsum.* Sensus est: perfectio simpliciter est talis, quæ secundum suam propriam, & formalem rationem, nullam inuoluit imperfectionem, nec excludit à subiecto, siue eodem ente, in quo est, aliam se meliorem, aut etiam æqualem; quam proinde cuiuslibet enti melius est habere, quam non habere. Talis est v. g. sapientia, bonitas, veritas, vita, &c. Item ratio, siue gradus substantiæ viuientis, intelligentis, spiritualis, Deitatis, actus puri, &c. omnes enim istas, aliasq; similes perfectiones cuiuslibet enti, in quo sunt, melius est habere, quam non habere; eo ipso, quod non excludunt alias se meliores, aut etiam æquales. Et quamuis sapientia in rebus creatis sit accidens: ac proinde etiam rationem quandam adiunctam habeat, quæ vtiq; non est melior ipsa in unoquoque; ente, quam non ipsa; tamen quod secundum suam formalem rationem abstrahit ab ea ratione accidentis, dicitur perfectio simpliciter.

E contrario verò corpus, planta, animal, homo, equus, leo; item quantitas, figura, calor, color, accidens, &c. & similes perfectiones, quæ in suâ formali ratione imperfectionem inuoluunt, adeoque excludunt ab eodem ente perfectiones alias se meliores, puta perfectionem spiritus, aut substantiæ incorporeæ, actus puri, &c. non sunt perfectiones simpliciter, sed in suo genere.

4 Ob eandem ferè causam, ex sententia S. Anselmi loc. cit. & communis Doctorum, à numero perfectionum simpliciter excluduntur relationes quælibet particulares, etiam diuinæ, vt paternitatis, filiationis, &c. quia licet non excludant ab eodem ente, nimirum supposito, alias perfectiones se meliores, excludunt tamen æquales, nimirum paternitas in patre filiationem; filiatio in filio paternitatem; cum tamen filiatio sit æqualis perfectionis cum paternitate; quo fit etiã, vt non sit in quolibet ente melior ipsa, quam non ipsa, vt suo loco docetur. Quamquam aliqui idè dicunt esse perfectiones simpliciter, quia sunt meliores ipsæ, quam non ipsæ, non quidem in quolibet ente simpliciter; prout etiã includit quodlibet suppositum naturæ; sed in qualibet natura, cum singulæ earum à natura diuina non excludant perfectiones alias, aut meliores se, aut æquales; quandoquidem omnes, & singulæ eidem naturæ diuinæ insunt, licet non eidem supposito, de qua re agitur inferius disp. 4. q. 3. dub. 4.

5 Multò minus, iuxta sententiam Anselmi loc. cit. & communem Doctorum, ad censum perfectionum simpliciter pertinent negationes, priuationes, denominationes extrinsecæ, vt sic, aut entia rationis; quandoquidem istæ propriè nec perfectiones quidem sunt eius, quod denominant; cum aut sint non entia, aut entia solum secundum quid; nec reale quicquam ponant in subiecto, quod denominant, etiam si de Deo verè prædicentur, vt rectè Molina 1. p. q. 4. art. 2. disp. 2.

Hoc posito, facile probatur assertio. Quia perfectiones simpliciter, eo ipso, quod in sua ratione for-

mali nullam inuoluunt perfectionem, quodque in omni ente meliores sunt ipsæ, quam non ipsæ, ut dictum, non possunt ab ente perfectissimo, qualis est Deus, etiam secundum se, ac formalem suam rationem abesse: si enim abessent, iam eo ipso Deus non esset undiquaque perfectus, utpote carens aliqua perfectione, qua melius esset non carere. Cæteræ verò perfectiones, quia in sua formali ratione imperfectionem inuoluunt, nec ad eò meliores in quolibet ente sunt ipsæ, quam non ipsæ, non possunt in ente perfectissimo formaliter esse, quia eo ipso ens illud foret imperfectum: quia tamen nihilominus Deus est illarum causa principalis, necessario in ipso esse debent eminenter.

6 Assertio IV. Deus est ens simpliciter, & absolute perfectissimum, ad eò vt nullum ens aliud par illi perfectione esse possit. Ita S. Thomas cit. art. 2. & 3. Et est de fide, ac extra contouersiam, Patet ex Scriptura Psalm. 34 v. 10. *Domine quis similis tibi?* Itai. 44. v. 7. *Quis similis mei?* Et cap. 46 v. 5. *Cui a similitudine me, & adæquasti, & comparasti me, & fecisti similem?* Ratio sumitur ex assertione 2. & 3. Quia illud, quod in ratione entis est perfectissimum, perfectius est eo, quod in certa tantum, & contracta quadam ratione entis perfectum est: illud enim in omni genere entis, hoc vero in certo duntaxat genere entis est perfectum: at verò Deus secundum ipsam rationem entis est perfectissimus, res autem cæteræ creatæ omnes in certo tantum genere, puta substantiæ corporeæ, vel spiritualis creatæ hominis, equi, caloris, aut alterius accidentis, vel substantiæ creatæ, sunt perfectissimæ: Ergo, &c.

Deinde illud est ens simpliciter, & absolute perfectissimum, quod habet omnes perfectiones entis possibilis optimo modo possibili: Deus est talis, vt constet ex præcedenti assertione: nulla verò res creatæ est, aut esse potest talis; quia eo ipso esset ens à se, actus purus, adeoque Deus: quandoquidem, & istæ sunt perfectiones simpliciter, quæ formaliter esse debent in ente perfectissimo: Ergo Deus est ens simpliciter, & absolute perfectissimum, cui nulla creatura par esse potest. Accedit denique, quod ad perfectionem Dei, cum sit ens necessarium, & immutabile, nulla fieri potest accessio perfectionis per vllam potentiam: cum tamen rei creatæ cuilibet accedere aliquid perfectionis, saltem accidentalis possit.

7 Assertio V. Rectè tamen nihilominus res creatæ in suo qualibet perfectionis genere dicuntur esse similes Deo, non tamen è conuerso Deus similis creaturæ. Ita S. Thomas hic cit. quæst. 4. art. 3. in corp & ad 4. & communis Doctorum. Prima pars patet ex Scriptura Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Matth. 5. v. 48. *Estote perfecti, sicut pater vester celestis perfectus est.* 1. Ioan. 3. v. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus.* Accedit ratio. Quia omnis similitudo est secundum convenientiam, seu communicationem in forma; ac proinde vbi est aliqua eiusmodi convenientia, seu communicatio in aliqua forma, illic est similitudo; sed creaturæ omnes, in quantum sunt entia, communicant secundum formam, siue rationem ipsius esse, quod habent, cum Deo, non quidem secundum eandem rationem, & modum, siue intensionem formæ:

vti accidit in duobus æqualiter albis; quorum etiam est perfectissima similitudo: nec etiam secundum eandem rationem, cum diuerso modo, siue gradu intensionis & perfectionis; qualis similitudo est inter minus album, & magis album: nec etiam per communicationem in forma secundum eandem rationem specificam, aut genericam quomodocunque; quarum prior cernitur in agentibus, & effectis vniuocis; vt quando homo generat hominem, leo leonem, &c. posterior in agentibus, & effectis creatis æquiuocis; vt quando sol generat ranam, murem, &c. sed secundum formam in vtroque (Deo, & creatura) eandem analogicè: quandoquidem Deo, & creaturæ nihil potest esse commune vniuocum. In quem sensum etiam S. Dionysius cap. 9. de diuin. nom. *Eadem, inquit, & similia sunt Deo, & dissimilia: similia quidem communiōne, quæ esse potest eius, qui communicari potest cum nemine: dissimilia porro, quod effecta à causis distant, in finibus, ac non comparandis mensuris ab illis vincuntur.*

Quo fit etiam, vt quo quæque res est in suo esse perfectior, quoque etiam in pluribus gradibus, aut perfectionibus entis, cum Deo communicat, eò etiam magis ad similitudinem Dei accedat; alia nimirum, quia sunt, vt substantiæ corporeæ inanimatæ; alia, quia sunt, & viuunt, vt plantæ; alia, quia sunt, viuunt, & intelligunt, vt homines; alia denique, quia sunt substantiæ, viuentes, intelligentes, spirituales, vt Angeli: ex quibus vtrisque rursus alij magis, vel minus, etiam quoad esse, & ordinem gratiæ, Deo assimilantur.

8 Altera pars assertionis colligitur ex Scriptura Isa. 40. v. 8. *Cui similem fecisti Deum?* Et sumitur ex S. Dionysio cap. 9. de diuin. nom. vbi dicit: *In his, quæ vnius ordinis sunt, recipitur mutuo similitudo; non autem in causa, & causato: dicimus enim, quod imago sit similis homini, & non è conuerso: & similiter dici potest aliquo modo, quod creatura sit similis Deo, non autem quod Deus sit similis creaturæ.* Ita refert S. Thomas cit. art. 3. ad 4. Verba S. Dionysij sunt: *Hæc quidem similia Deo dicenda sunt, & ad diuinam imaginem, similitudinemq; facta: neg enim eis Deus similis dicendus est; quod ne homo quidem similis est suæ imagini. Nam ea quidem, quæ sunt eiusdem ordinis, fieri potest, vt inter se similia sint, & vtrinq; recipietur similitudo; & sint ambo similia aequè ex principali specie. In causa autem, & effectis non approbamus reciprocationem.* Ita S. Dionysius.

Vnde etiam sumitur ratio. Quia similitudo inter plura, non dicit relationem æqualis comparationis; nisi quando in ipsis est forma eiusdem rationis, secundum quam dicuntur similia; seu quando in ea re sunt eiusdem ordinis; quo casu etiam reciprocè similia dicuntur. At verò cum id non accidit, sed vnum alteri simile dicitur, quia hoc imitatur aliquo modo alterum, tanquam sui ipsius mensuram, sicut imago prototypum, & effectus causam æquiuocam; tum similitudo dicit relationem disquarantæ, seu inæqualis comparationis; vt proinde altera res non vicissim similis, sed imitatione expressa dici debeat. Non enim rectè dicitur prototypum imagini simile, sed imago prototypo similis, vt rectè exposuit Molina. cit. art. 3.

Neque verò dubium videtur, quin ratio huius attributi formaliter sit aliquid positivum, utpote rationem consummati, & absoluti in ratione entis, secundum rationem nostram, diuinæ naturæ superaddens, & veluti sibi propriam, ac ab omnibus attributis distinctam vendicans. In quem sensum etiam Caietanus hic q. 4. a. 1. dicit, perfectionem hoc loco significare modum optimum essendi Dei, cui videlicet nihil debet perfectionis, quæ tali enti sit accommodata. Et quamquam ex hac ipsa ratione perfectionis, etiam cæterorum attributorum perfectiones inferri possint; eas tamen formaliter non includit; sed ab ijs abstrahit. Quod ex eo etiam colligi potest, quod cognitio huius attributi haberi potest, alijs etiam necdum cognitis. Quo verò modo nihilominus bonitas propriam quandam, ac specialem attributi rationem sibi vendicat, dicitur dub. seq.

DV BIVM III.

An, & quæ ratione Deus sit summum bonum.

S. Thom. 1. p. q. 5. & 6. a. 10.

Disputat S. Thomas q. 5. de ratione Boni in genere, postea primum de Bonitate diuinâ q. 6. sed quia prior illa tractatio tota Metaphysica est; ad præsens institutum, ex doctrinâ S. Thomæ eodem loco, & meliori Philosophia, hoc solum annoto. Bonum in genere duplex est; Primum naturale, seu entitativum, seu in ratione entis; Alterum morale, seu in genere moris. Prius illud rursum, vel est tale absolute, ac in se; vel relatè, & per respectum ad aliud. Bonum absolute, & in se nihil aliud est, quam perfectum essentialiter, cui videlicet nihil deest, quod sit de eius ratione. Bonitas autem ipsa formaliter, ut sic, est ipsa essentialis perfectio, & integritas rei in genere entis; ita ut bonum in hoc sensu nihil aliud addat supra ens quam rationem perfecti per suam entitatem; quo sensu etiam est, & dicitur passio entis, non quod à parte rei differat ab ente, & ex eo realiter emanet; sed quia ratione nostra posterius quiddam est ente, atque ad ipsum entis conceptum necessario consequens. Atque ita docent Heræus quodlib. 3. quæst. 2. art. 2. Molina hic quæst. 5. disp. vnic. Vasquez disput. 23. cap. 5. & ferè consentiunt Suarez metaph. d. 10. sect. 1. num. 17. & 18. & hic lib. 1. cap. 8.

Quæ videtur etiam expressa sententia S. Anselmi in illud Psalm. 102. *Qui replet in bonis, &c. Omnes creature, inquit, habent quoddam bonum suum, bonum integritatis sue, & perfectionis naturæ suæ.* Idem docet S. Thomas hic cit. quæst. 5. art. 1. 3. & 5. vbi sæpius repetit, bonum dicerè *rationem perfecti*. Id ipsum etiam Molina loc. cit. rectè probat ex eo, quia alias rectè defendi non posset, malum esse privationem boni; itemque Deum esse bonum per essentialiam: vtrumque enim non nisi ratione perfectionis, boni nomine significata, verum esse potest.

Bonum relatè consistit in ratione convenientiæ. Ea vel generalis est, & eadem in quolibet ente; terminata, vel ad ipsam totius naturæ vniuersitatem; vel ad appetitum ipsius Dei tanquam auctoris na-

turæ; cui omne ens, ut ens, placitum est; iuxta illud Genes. 1. v. 31. *Viditq. Deus cunctas, quæ fecerat, & erant valde bona.* Et Sap. 11. v. 2. *Diligis omnia, quæ sunt.* Vel est specialis, respiciens duntaxat rem aliquam particularem, qua ratione dicitur frigus aquæ bonum, igni non item, è contra calor igni bonus, aquæ non item. Et hoc posteriori modo verius existimo contra Durandum in 2. d. 34. quæst. 1. num. 22. bonum non esse passionem entis; cum aliqua sint entia, quæ aut nulli rei particulari, propriè ac per se bona sunt; aut certè pluribus, ac potius mala, quam bona; cum tamen in ratione entis sint perfectissima, ut Dracones, Crocodili, aliæque venenata, & nociua animalia, etiam si interim cuiilibet rei suæ ipsius natura, suæque proprietates bonæ sint.

Priori autem modo multi post Capreolum in 2. d. 34. quæst. 1. sentiunt, convenientiam esse passionem entis, eodemque ferè sensu ipsum etiam appetibile, entis passionem appellant, ut videre est apud Gregorium de Valentia quæst. 5. p. 1. Alij verò absolute negant, bonum, hoc sensu esse passionem entis, siue quia pro absurdo habent, denominationem extrinsecam, aut etiam relationem, siue realem, siue rationis, esse passionem entis, siue quia appetibile est aliquid ratione posterius ipsa bonitate, & convenientiâ: non enim quia res appetibilis est, bona est, sed quia bona est, appetibilis est; cum appetibilitas videatur solum denominatio extrinseca ab appetitu, cui res conueniens est: quod verum est, si appetibile passiuè accipiatur, secus si actiuè, prout est obiectum motuum voluntatis, vti in simili dictum supra disput. 1. q. 3. dub. vlt. de visibili, audibili, &c.

Ego verò nihil video obstare, quominus denominatio extrinseca constituat, aut saltem compleat, quasi rationem formalem passionis entis: cum omnium sententiâ, passiones entis veræ, & propriæ passiones ab ente realiter emanantes, & distinctæ non sint: quod etiam supponit S. Thomas hoc loco quæst. 5. art. 1. nec video, cur non etiam appetibile, respectu vniuersalis quasi appetitus naturæ, siue auctoris naturæ, queat esse passio entis, idemque etiam dici bonum, saltem secundaria quadam ratione. Si quidem ipsemet etiam S. Thomas hic quæst. 5. art. 1. ait *bonum* (in quantum est passio entis) *dicerè rationem appetibili, quam non dicit ens.* Et resp. ad 1. ait: *bonum dicerè rationem perfecti, quod est appetibile.* Et art. 2. ad 1. ait, *bonum habere rationem appetibili.* Et art. 3. ad 1. *bonum addere super ens rationem tantum appetibili, & perfectionis, quod conuenit ipsi esse, in quantum natura sit.* Et denique art. 5. docet *rationem boni* (saltem aliquam) *consistere in perfectione:* ita ut S. Thomas vtrumque coniunctim asserat, bonum, & sub ratione perfecti, & sub ratione appetibilis, esse passionem entis: quod non est absurdum, cum omnes rationes sint subordinatæ, nimirum ratio entis, perfecti, conueniens, & appetibilis, quod enim ens est, in ratione suæ essentialis, siue quidditatis perfectum est; quod perfectum est in ratione suæ entitatis, naturæ toti est conueniens; quod conueniens est, ab eadem naturâ, seu auctore naturæ appetibile est.

Quod etiam indicat S. Thomas ead. quæst. 5. art. 2. & 3. vbi consequenter hac tria enumerat, ratio-

nem entis, perfecti, & appetibilis; sub appetibili utique rationem etiam convenientiæ comprehendens, cum hæc secundum rationem nostram sit quasi proximum fundamentum appetibilitatis: Quo modo etiam Molina cit. disp. vnic. sub fin. ait S. Thomam, cum dicit appetibile esse passionem Entis, loqui de ratione boni extrinseca, & quæ se habet ad Bonum, ut passio ad suum subiectum, quod aperte, inquit, innuit idem D. Thomas ad inquitum primi Ethicorum.

3 Neque tamen idè dixerim, relationem, siue realem, siue rationis, formaliter esse passionem Entis; quia relatio realis cum ipsamet etiam intrinsece sit ens, non potest esse passio Entis: relatio verò rationis cum pendeat à conceptione nostra, non necessario, ac semper conuenit enti. Licet Vasquez cit. dist. 28. cap. 7. ipsamet integritatem seu perfectionem entis quam vna cum eo passionem Entis esse diximus, dicat esse relationem, seu realem in compositis, seu rationis in simplicibus; quod non probatur. Sicut & Durandus loco cit. rationem illam conuenientie dicit esse relationem realem, quæ Capreolus itidem docet esse relationem rationis. Ego existimo esse relationem solum secundum dici; sicut esse capitatum. &c. His positis, an, & qua ratione Deus sit bonus, tum in genere Entis, tum moraliter; quaque ratione bonitas sit proprium attributum Dei, facile sequentibus assertioibus declarabitur.

4 Assertio I. Deus est summum bonum in genere entis, tum bonitate absoluta perfectionis; tum etiam respectiua conuenientie, & appetibilitatis. Ita S. Thomas hic quæst. 6. a. 1. & 2. & est de fide, ac extra controuersiam, & passim asseritur in Scriptura, & à Patribus. psalm. 117. v. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus*, &c. S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 2. dicit, *Trinitatem diuinarum personarum esse summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur*. Et prima pars patet ex dub. præcedent. Vbi probauimus, DEVM esse ens omnium perfectissimum.

Secundam partem tradit S. Dionysius cap. 4. de diuin. nomin. vbi docet, Deum esse *omnium bonum, sicut ex quo omnia subsistunt*. Eandem bonitatem per respectum ad creaturas intelligentes, præsertim iustas, sæpe exprimit Scriptura, ut psalm. 71. vers. 1. *Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde*. Thren. 3. vers. 25. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, anima quærenti illum*. Ratio est. Tum quia in tantum quodque est bonum bonitate entis, in quantum est Ens: sequitur enim passio naturam subiecti: Deus autem summum, ac præstantissimum est Ens, ex dictis quæst. 1. dub. 5. Ergo & summum bonum. Tum quia Deus veluti causa prima & vniuersalis modo excellentissimo continet omnem perfectionem, & bonitatem cuiusque entis creati, ut inferius patebit.

5 Nec obstat, quòd iuxta S. Augustinum lib. de natura boni capit. 3. boni ratio consistat in modo, specie, & ordine; ut etiam docet S. Thomas hic quæst. 5. art. 5. quod tamen in DEO locum non habet; id enim pertinet ad rationem boni creati, non autem increati, nisi causali-

ter; ut notat ipsemet sanctus Thomas quæst. 6. art. 1. ad 1.

Quem etiam illis terminis trifariam vsum fuisse notat Caietanus hic quæst. 5. art. 5. Hic enim per modum intelligit commensurationem principiorum efficientium, seu materialium; per speciem, formam; per ordinem, inclinationem ad aliquid. In quæstione autem 20. de veritate, per speciem intelligit formam; per modum commensurationem ipsius esse, ad essentiam, cuius est; per ordinem verò respectum perfectiui finaliter in ratione boni inclusum. Verum in 1. 2. quæst. 85. artic. 4. per speciem intelligit formam absolute; per modum mensuram ipsius formæ; per ordinem verò respectum ad aliud. Quæ quomodo re ipsa consentiant, explicat Caietanus ibidem.

Assertio II. Deus quoque est summum bonum in genere moris, seu virtutis, & sanctitatis. Est itidem de fide, & extra controuersiam. Patet ex Scriptura Matth. 19. vers. 17. *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei, quid me interrogas de bono? unus est bonus DEVS*. Et Luc. 18. vers. 19. *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus DEVS*. Vbi constat, solum; aut potissimum de bonitate moris esse sermonem. Idem patet ex multis Scripturæ locis, in quibus DEVS vocatur sanctus, ut Leuit. 11. vers. 44. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Et vers. 45. *Sancti eritis, quia Ego sanctus sum*. Isai. 6. vers. 3. *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, sanctus, sanctus, sanctus, Dominus DEVS exercituum, plena est omnia terra gloria eius*. Et rursum Apocalyp. 4. vers. 8. *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas; & in circuitu, & intus plena sunt oculis; & requiem non habebant die, ac nocte dicentia, sanctus, sanctus, sanctus Dominus DEVS omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est*. Idemque sancti nomen innumeris quasi locis DEO in Scriptura passim tribuitur.

Ratio est. Quia perfecta bonitas moralis, adeoque sanctitas, in creaturis intelligentibus speciatim consistit in singulari quadam participatione naturæ diuinæ per gratiam; qua fit, ut anima DEO grata reddatur; tum in virtutum perfecta possessione; id autem quod per essentiam tale est, perfectius est in eo genere, quam quod solum per participationem: nec dubium, in DEO omnes virtutes morales esse modo optimo; nempe aut formaliter, eas, quæ in ratione formali non inuolunt imperfectionem, ut est charitas, misericordia, prudentia, &c. aut eminenter cæteras, ut est fides, spes, temperantia, obedientia, humilitas, &c. prout in simili de perfectionibus naturalibus dictum dub. præced. & docet etiam S. Thomas 1. p. quæst. 21. art. 1. ad 1. Quæ de causa sæpe etiam in Scriptura Deo virtutum perfectiones tribuuntur. Plura de hac re q. 10. dub. 2.

6 Assertio III. DEVS est per essentiam bonus utraque bonitate; idque Dei solius proprium est. Ita S. Thomas hic quæst. 6. art. 3. cæterique Doctores, qui etiam vna cum S. Thoma ibidem art.

2. ad 2. huc referunt illud, *Nemo bonus nisi solus DEVS*: licet assertionem ipsam non eodem modo omnes explicent, nec plane mens, & explicatio ipsius sancti Thomæ difficultate careat, vt videre est apud Caietanum libidem, Gregorium de Valentia quæstio. 6. punc. 2. Molinam quæst. 6. disput. 2. Vasquez disput. 24. Breuiter dico, solum DEVM esse bonum per essentiam, bonitate quidem transcendentali, tres ob causas. 1. Quia solus bonus est bonitate per essentiam; cætera omnia per participationem, vt dictum in simili quæstione 1. dubio 5. Quæ est explicatio Caietani, sed non adæquata menti sancti Thomæ loco citat. 2. Quia sola bonitas DEI essentialiter habet, quod sit realis, & actualis bonitas; adeoque solus DEVS est bonus per essentiam bonitate necessariò existente, vt bene Molina loco citat. & Suarez lib. 1. de DEO, capit. 8. numer. 4. & patet ex quæst. 1. dubio 5. 3. Quia omnes res aliæ bonitatem aliquam accidentalem habent extra essentiam, Quod optimè declarat Sanctus Thomas citat. artic. 3. *Unumquodque enim dicitur bonum, secundum quod est perfectum, perfectio autem alicuius rei (in quantum scilicet est actu) triplex est. Prima est ipsa actualis existentia, secunda sunt qualitates, & potentia naturales ad operandum necessaria. Tertia est consecutio finis proprii, vti quies in loco, aut operatio circa optimum, &c.* Quæ omnes perfectiones sunt extra essentiam rerum cæterarum; cum tamen sint de essentia Dei: cuius solius essentia est suum Esse, ex quæstione 1. dubio 5. Et cui intrinsicè non adueniunt vlla accidentia; ita vt quæ de alijs dicuntur accidentaliter, Deo conueniant essentialiter, vt esse potentem, sapientem, ex quæst. 2. dubio 2. & 5. & hac quæst. dub. 1. Neque etiam ipse ordinatur ad vllum finem alium, sed ipse est finis vltimus rerum omnium; in quo proinde etiam ipse seipso, & absque medio conquiescit.

7 Significat quidem præterea Sanctus Thomas in respon. ad 1. cæteras res nullam habere bonitatem præcisè secundum essentiam; sed hoc Molina benignè, & commodè intelligit de bonitate actuali: alias dubium non est, ipsas etiam rerum essentias secundum se, & seclusa etiam existentia, ita transcendentaliter bonas esse, vt sunt entia; cum bonum sequatur rationem entis. Qua de causa etiam sanctus Dionysius capit. 5. de diuin. nomin. ait, bonum se extendere ad existentia, & non existentia.

Idem multo clarius est de bonitate moris, seu virtutis, & sanctitatis; hæc enim nulli creaturæ naturalis, aut essentialis est, nec etiam re idem est, cum natura ipsius: sed obtingit ei solum ex gratia, vt docetur cum sancto Thoma in 1. 2. quæst. 109. DEO autem plane essentialis est. Siquidem bonitas eius moralis in actu quidem secundo est voluntas Dei libera beneficiendi, aut rectè operandi, iuxta rationem cuiusque virtutis; quæ quidem voluntas, quatenus in DEO est, non distinguitur ab ipsa essentia diuina, vt suo loco inferius docetur q. 9. In actu

verò primo est ipsa substantialis sanctitas Dei, ac rectitudo naturalis voluntatis diuinæ, seclusa omni perfectione etiam secundum rationem superaddita Essentiæ; & voluntati diuinæ, quæ nimirum respondeat, aut habitui gratiæ, aut virtutis alicuius operatiuæ; cum DEVS suamet naturali entitate sanctus sit, nec vllius habitus operatiui etiam secundum rationem, ac modum nostrum intelligendi indigus; vt potè, vi naturali suæ voluntatis ad operandum promptissimus, & expeditissimus.

Eandem assertionem indicat sanctus Dionysius cap. 1. de diuin. nomin. cum ita de DEO loquitur: *Vt bonitatis essentia, hoc ipso, quod est, eorum quæ sunt, causa est omnium.* Et capit. 4. *Theologi ipsam, vt opinor, diuinam essentiam bonitatem appellant; hoc ipso, quod bonum est, vt bonum per se, & essentia sua, in ea qua sunt, omnia, bonitatem fundat.* Vnde rectè etiam docet sanctus Thomas quæst. 6. art. 4. res creatas omnes denominatiuè bonas esse bonitate diuinâ, sicut primo efficienti, exemplari, & finali rotius bonitatis; formaliter autem bonas esse similitudine quadam diuinæ bonitatis sibi inhærente; quæ est etiam propria, & formalis rei vniuscuiusque bonitas.

8 Assertio IV. Attributum bonitatis transcendentalis absoluta, non est distinctum ab attributo perfectionis diuinæ dub. præced. explicato. Significat hoc ipse S. Thomas relatus initio huius dubij, & est ex mente aliorum, qui agnoscunt eam rationem bonitatis. Ratio est manifesta. Quia bonitas absoluta entis, est ipsa perfectio cuiusque entis secundum essentiam, vt superius dictum; quæ perfectio vtique in exacta, & omnimoda perfectione rei cuiusque includitur; ac proinde ab ea nullum attributum diuersum constituit. Quam ipsam etiam causam assignat Caietanus, q. 5. art. 1. cur S. Thomas statim post attributum perfectionis, de bonitate tractauerit; cum aliquin per se statim de infinitate DEI tractandum fuisset. *Quæstio de Deo, inquit, dupliciter ordinari potest. Primo modo secundum se, & sic non debetur sibi iste locus, vt obijciendo deductum est; sed quæstionem de perfectione statim quæstio de infinitate sequitur, quarens de quantitate perfectionis diuinæ. Alio modo, vt est pars tractatus de perfectione, & sic in capitulo de perfectione ordinanda est: & hoc modo in litera ordinatur. Et hoc insinuauit litera iam in principio quæstionis quarta, vbi tractatus de perfectione inchoatur, & dicitur; & quia unumquodque secundum quod perfectum est, sic dicitur bonum, primo agendum est de perfectione diuinâ; secundo de eius bonitate. Quasi diceret, quod propter perfectionem, de bonitate tractandum est simul: Quoniam in principio quæstionis septima, vbi aperiens, quod de bono per accidens, id est, ratione perfectionis tractauit, dicit, post considerationem perfectionis diuinæ, de infinitate, &c. nulla facta mentione de bonitate, de qua fecerat duas quæstiones, &c. Ita Caietanus.*

Et sanè quidem fatendum, sanctum Thomam potuisse etiam alio non minus conuenienti ordine pertractare diuina attributa; primum

à transf.

à transcendentibus incipiendo, consueto in
ijs, & naturali hoc ordine seruat, vt. pri-
mum de vnitatem, deinde de veritate, de-
nique de bonitate ageretur: deinde pro-
sequendo alia magis particularia DEI attri-
buta; idque nos ipsi etiam, quamuis à sancto
Thomâ neglectum, obseruare in hac nostra
tractatione potuissimus; sed quia res magni
momenti non est, nolimus hac in re à me-
thodo, & ordine S. Thomæ sine causa urgente
recedere.

Assertio V. Bonitas transcendentalis res-
pectiua DEI, tum conuenientiam, tum appetibi-
litate, constituit proprium attributum DEI,
distinctum ratione à perfectione, cæterisque
attributis diuinis. Ita Capreolus, Gregorius
de Valentia, Molina loco citat. & alij, qui
eam rationem bonitatis agnoscunt; & est
mens sancti Thomæ hic, quando in duabus pro-
prijis quæstionibus, de bonitate Dei, velut pro-
prio vtique, & speciali attributo agit. Ratio est
manifesta. Quia ratio conuenientiam, & appeti-
bilitatis, cum suo quodam modo sit communis
omni enti, tum Deo secundum gradum excel-
lentissimum propria est, ac simul tamen ratio-
ne distincta ab eius perfectione, quam etiam
secundum rationem nostram consequitur, vt
ex dictis patet.

10 Assertio VI. Probabilis existimo, etiam
bonitatem Dei moralem constituere proprium,
ac speciale DEI attributum, tum à bonitate,
Entitativa, & perfectione diuina, tum à cæ-
teris omnibus diuinis attributis distinctum.
Hanc assertionem indicat Scriptura, cum in-
ter omnia DEI nomina, & attributa,
sancti nomen DEO potissimum, ac fre-
quentissime tribuit, vt dictum assert. 2. Idem
colligitur ex illo Trisagio diuinitus reuelato;
*Sanctus DEVS, Sanctus fortis, Sanctus & im-
mortalis.* Vbi sancti attributum non minus
distincte, quam fortis, & immortalis DEO
attribuitur. Idem indicat sanctus Dionysius
capit. 12. de diuin. uomini. Vbi inter pro-
pria etiam DEI nomina, *sancti* nomen recen-
set, *DEVS*, inquit, *qui infinita habet nomina,*
vt sanctus sanctorum, vt rex regnantium, & regnans
*in seculum, in æternum & ultra, vt Dominus Domi-
norum, & Deus Deorum nobis laudandus est. Ac pri-
mum quidem dicendum est, quidnam sanctitatem ip-
sam pusemus, quid dominatum, quid diuinitatem,*
quidque declarare velint scripta diuina, geminatione
*nominum. Sanctitas quidem est, vt nostra ratione di-
cam, & sententia, ab omni scelere libera, perfe-
ctaque, ac omni ex parte incontaminata puritas,*
Sed & sanctus Damascenus lib. 1. capit. 19.
iustum, & peccati expertum esse, inter
alia DEI nomina & attributa commemorat.
Ratio sumitur ex dictis. Quia ratio bonita-
tis moralis, siue sanctitatis, est perfectio
simpliciter, & ratione distincta tam ab
essentia diuina, quam ab eius perfectione,
ac bonitate etiam transcendentali, ex
dictis; nec includit etiam vllum cætero-
rum attributorum diuinorum, vt, mox pa-

tebit: Ergo est proprium, & distinctum attri-
butum Dei.

Contrariam tamen sententiam tradunt Sua-
rez lib. 1. de DEO cap. 8. num. 18. & Vasquez
disp. 23. num. 11. Rationem addunt; quia at-
tributa non secundum rationem genericam, sed
secundum rationem specificam assignanda
sunt: ratio autem bonitatis moralis generica
est, quæ in pluribus virtutibus reperitur; ex
quibus aliquas DEO tribuimus, vt veracita-
tem, fidelitatem, iustitiam, misericordi-
am.

Verum respondeo, bonitatem moralem in
presenti, absolute & simpliciter dictam, non
esse rationem genericam, sed specificam, com-
plectentem videlicet omnes omnium virtutum
perfectiones; ita vt earum respectu sit aliquid
vniuersale, non per modum prædicationis, sed
per modum totius quasi integri. Neque enim
absolute bonus est moraliter, qui vnam solum
virtutem moralem habet, sed qui habet omnes;
adeo vt qui vel vna virtutis bonitate destituitur,
non sit bonus, sed malus; quia iuxta S. Diony-
sium; bonum est ex integra causa; malum autem
ex quolibet defectu.

Qua de causa etiam rationes particulares vir-
tutum non constituunt singula propria, & spe-
cialia attributa diuina; sicut etiam nec à sancto
Thomâ, alioque Doctore, inter Dei attributa, cum
alijs Dei attributis, v. g. perfectione, bonitate,
infinitate, immensitate, scientia, voluntate,
sapientia, &c. ex æquo connumerantur; imo
nec vsquam ex instituto S. Thomæ enumerat vir-
tutes formaliter in Deo existentes; sed de amore
quidem, iustitia, & misericordia Dei tractat. 1.
p. q. 20. & 21. velut de actibus diuinæ volun-
tatis, quam inter attributa diuina antea quæst. 19.
tractauerat; non autem veluti totalibus attributis:
alias oporteret etiam in intellectu diuino,
pro numero virtutum intellectualium, quæ in
Deo formaliter reperiuntur, attributa ipsa mul-
tiplicare. Accedit, quod sanctitas Dei substan-
tialis, respondens quadam propotione sanctita-
ti gratiæ sanctificantis, in ipsa animæ essentia,
immediate posita, non habet rationem. vllius
virtutis; vt vel hac etiam de causa, sanctitas
peculiare Dei attributum constituendum videat-
ur.

Fateor tamen, S. Thomam, vbi de attri-
butis DEI agit, nullam specialem mentionem
facere bonitatis moralis; siue, quia eo loco
DEVM secundum rationem Entis solummo-
do considerat; siue quia bonitatem DEI mo-
ralem ad entitativam bonitatem eiusdem
cessit pertinere; sicut reuera DEO plane
etiam à parte rei substantialis, & essentialis
est, nec extra entitatem eius naturalem posi-
ta; vt supra dictum.

Assertio VII. DEVS ita per se primum bo-
num est, vt non possit ipse vna cum crea-
tura dici aliquid melius, aut maius bonum.
Ita contra Durandum in 1. dist. 44. quæst. 3.
Molina quæst. 6. disp. 1. Eadem est sententia
S. Thomæ in 1. 2. quæst. 34. artic. 3. ad 2. &

in 3. sentent. distinct. 6. quæst. 2. artic. 3. ad 1. & indicat S. Augustinus lib. 6. de Trinitat. cap. 8. vbi ait: *Cum creatura adhaerescit creatori, illa sit maior, quam erat, non ille.* Ratio est. Quia melius bonum, & maius bonum, intensiorem perfectionis, & bonitatis, non solum pluralitatem significant; cura tamen diuina bonitas qualibet accessione, aut coniunctione creaturæ bonitatis, intendi nullo modo possit, nec ex utraque simul bonitate, intensius bonum constitui; tum quia sunt diuersissimæ plane rationis, ac generis; tum quia bonitas creaturæ habet se ad diuinam vt punctum ad lineam,

quæ accessione puncti non sit maior, vt recte S. Thomas cit. dist. 6. Tum quia *Deus* eminentissimè habet rationem, & perfectionem omnis boni creati, cui proinde nihil addi potest perfectionis, quod non in seipso antea habeat. Plura igitur quidem illa sunt bona; sed non maius bonum; alias admittendum esset *CHRISTVM DEVM* & hominem esse quid melius, & perfectius Patre, & Spiritu sancto; quod ne dicam impium, certe temerarium, ac periculosum esset asserere, inquit Molina loc. cit.

QVÆSTIO IV.

De infinitate ac immensitate Dei.

S. Thomas 1. p. q. 7. & 8. aa. 8.

Absoluetur hæc quæstio quatuor dubitationibus. I. *An, & qua ratione Deus sit infinitus secundum essentiam; & in quo hæc infinitas Dei consistat.* II. *Utrum possibile sit infinitum actu, siue secundum multitudinem & numerum; siue secundum magnitudinem & extensionem.* III. *An, & qua ratione Deus sit immensus, & ubiq; præsens.* IV. *Utrum Deus sit etiam in spatijs aliquibus extra cælum.*

DVBIVM I.

An, & qua ratione Deus sit infinitus, secundum essentiam; & in quo hæc infinitas DEI consistat.

S. Thomas 1. p. q. 7. a. 1. & 2.

Non est hic quæstio de infinitate molis, seu quantitatis corporeæ, qualis in Deo nulla est; nec de infinitate incomprehensibilitatis, aut æternitatis, vel immensitatis, aut etiam potentia, aut cuiuslibet attributi diuini, quamuis singula in suo genere, & sua quadam ratione infinita sint; sed de infinitate perfectionis DEI in essendo; quæ dicitur infinitas per essentiam, siue secundum essentiam: de qua quæritur & quæ ratione Deo conueniat, & in quo proprie ac formaliter consistat.

Assertio I. Deus est infinitus actu in essendo, siue secundum essentiam. Ita S. Thomas q. 7. art. 1. ac cæteri Doctores in 1. dist. 43. & est de fide ac extra controuersiam; etsi S. Bonaventura in 1. dist. 43. art. 1. quæst. 2. solum dicat, id esse magis consonum fidei. Patet ex Psalmo 144. vers. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Baruch 3. vers. 25. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Idem passim docent SS. Patres. S. Damascenus lib. 1. orthod. fid. cap. 4. attributa & perfectiones diuinas commemorans ait, Deum esse *infinitum &*

æternum, & incircumscriptibilem. Et lib. 1. cap. 12. ait, Deum esse quoddam *pelagus substantia infinita.* Sed & omnes antiqui Philosophi dixerunt, primum principium esse infinitum; licet quidam vt in ratione speciali primi principij errarunt, ita etiam errarunt circa infinitatem, quam tribuerunt primo principio, dicentes aliquid corpus infinitum, esse primum principium, vt notauit S. Th. ibidem. Idem colligitur ex cap. *Firmiter*, de sum. Trinitat. & fid. Cathol. vbi tamen expresse non ponitur attributum infinitatis, sed immensitatis; quæ se mutuo consequuntur.

Rationes adducuntur apud Aristotelem lib. 3. phys. c. 4 t. 30. ex mente etiam Anaximandri, & naturalium Philosophorum: item apud S. Thomam 1. cont. gent. c. 43. Scotum in 1. dist. 2. q. 1. Nyphum in lib. de infinit. primi motoris, alioque Metaphysicos lib. 12. Metaph. quos etiam ex parte examinat Molina hic q. 7. vbi addit, *pleriq; credere, infinitatem diuinæ essentia nondum rationibus naturalibus esse demonstratam, sed tantum fide, vt rem certam teneri.* Verum multo verius est, rem hanc quoque euidenter demonstratam esse, non quidem singularis quæ afferentur rationibus (nam & eam, quam assert S. Thomas hoc loco, plerique esse euidentem ac firmam, negant) sed in definitæ hæc vel illa.

Mihi quidem optima videntur illæ, quæ petuntur ex ipso conceptu diuinæ essentia. Prima, Deus est ens per se ac per suam essentiam: Ergo ens illimitatum, adeoque infinitum. Consequentia probatur. Quia quicquid limitatur, a sua causa efficiente limitatur, a qua esse determinatum ac limitatum accipit; vt non solum inductione patet, sed etiam ipso lumine naturali. Limitare enim,